

Letter 388: [Before 10 May 1529, Strasbourg, Capito to Guillaume Farel]

Original autograph is in Zurich SA E II 446, f. 73r-74v.

Salutem a Domino. Iam tandem scio, quid tibi cupias morem sepeliendi Iudaeos. Ante annos viginti panni istius ominosi antitypon Friburgi Brisgauriae apud Chartusianos vidi. Figmentum est ductum, et nuper admodum ceptum publicari, ut me tum audire nunc commemini. Describam igitur rationem sepeliendi observatam Germanis Iudaeis; deinde quatenus cum aetate Christi ac superiorum seculorum quadret; postremo, quid affinitatis nugamento illo superstitionis sit cum evangelistis, quamquam me ad has res non opus habes; pridie, Iudaeum audivi in hunc modum referentem ut in subiectis actis perspicies.

1. De lecto ad stramen aut pavimentum substrato lintheo ponitur funus.
2. Postquam satis refriguit, corpus diligenter aqua tepente abluitur parte duntaxat ea detectum, qua modo purgatur, verecunde scilicet etiam cadaver tractantes.
3. Albumen ovi unius aut alterius coagulatum in aquam, quod levitatem ac candorem conciliare solet, caput oblimant totum.
4. Prolixam in pedes usque interulam mox induunt, subinductis soccis pedibus lineis superne caput linea vit[t]a cingitur, qua dormientes... utebantur.
5. Lineum cingulum apponitur et superne obvolvitur vestitus alius ex lege mutuatus, quem [heb] tallith nominant. Quadratus et lineus est; habet in quatuor angulis philacteria, [heb] nominant Haebraei.
6. In feretro vel arcula, quam simul sepeliunt, est linteamen positum, quo totum cadaver in praedictum modum adornatum, circumvolvitur; manus utriusque lateri in longum porrectae, coniunctae sunt, iacet supinus, versa sursum facie.
7. Post lotionem, clauduntur oculi et os, superponitur utrique oculo aut testula ollae, aut lapillus, aut glebula terrae, sub mentum autem lapis, quo continetur os clausum, ne hiet.
8. Claudunt integumento feretrum vel arculam, in qua est cadaver, ne quid terrae, conspurcare scilicet sacrosanctas illas reliquas posset. Haec de sepultura huius seculi.
9. Adde quod per vim occisum, ut repertus fuerit, omnia reliqua pompa sepeliant, sic puerpera, sic sacerdos [heb] *kohen* humatur illotus, etc.

Quatenus mos hic priscis quadret, et unde mihi videantur mutuati talem ordine adnotabo:

1. Iam deponunt a lecto, ad stramen, olim cautum fuit, ut lectus funestus everteretur his verbis: [heb], id est, lugens tenetur lectum evertere (eversio illa, deiectio et conturbatio, non simplex eversio), quod iam alibi iubet huic egressus per mortem, tali videntur ceremonia indicare.
2. Gelu membrorum cadaveris expectant. Nam summe praeceptum est, ne quo modo agentem animam commoveant, aut curent funeralibus officiis, hoc est, ne lavent, ne ungant, ne claudant oculos. Alioqui pares habentur homicidis sic autor lib. [heb] *Yoreh Deah*. Ablutio loco purificationis habetur.
3. Hoc seculo abluitur vino et albumine ovi contrito caput et facies, quod videtur loco unctionis esse. Unguentis enim odoratis, et aromaticis in terra Israel, ut ungant funus praeceptum illis erat.
4. Non vestierunt prisci cadavera, vivorum vestitu [heb] *ela malbushim tachrichin bishtan*, sed vestierunt involucris pannorum. Sic Meymonius ait lib. 14. Quem in modum videre est in sepultura Lazari et Christi apud evangelistam Ioannem. Ad rem

45 facit [heb] tachrichin esse involutionem corporis totius excepto capite, sicut [heb]
 atiphath capitis est. Habetur in Massecheth Moad Katon. Sub aetatem Christi mos fuit
 caput relinquere liberum ac nudum, eorum qui divites naturali fato defuncti essent,
 sed afflictorum ob turpitudinem ac nigrorem occultandum rexerunt, maxime si
 periissent acerba morte, nam in βιοθανάτοις et qui violenta morte perierunt vestigia
 meroris e facie apparent. Sed privata linea ad caput idonea et consueta involuti in
 50 capitibus incedebant antiquitus ut ubique legendis Hebreorum antiquitatem videre est.
 Ergo corpus dominicum non est illo modo involutum, quem superstitiosus tuus
 pannus praesefert. Autor istius commenti non animavertit (quisquis primus
 coniunxerit) quod Petrus deprehenderit, a lintheaminibus sudarium seorsum positum,
 nam latina voce evangelista sudarium nominat,⁵ id quod, faciem obagebat. Panniculis
 in faciem sudore vulgo detergis, unde proclive est illud panni genus sudarium
 55 nuncupare, quod capite velando ac facie contegenda quadret.

5. Lineo cingulo modo cingunt interulam funestam. Olim filo lineo consuebant,
 lintheamen ipsum complicatum corpore diligenter, sic Rabi Mose Hispanus in libro
 [heb]... *Schophitim*, in titulo [heb] ... scriptum reliquit. Tallith pallium lineum est,
 60 quod habet quatuor angulos, quibus adnexas notas a lege praeceptas habet. Eiusmodi
 genus vestimenti cadaveri superne induebant. Rabi Nathan causam dicere videtur.
 Nam quo igitur ornatu defuncti vita inhumantur, eodem in futuro seculo consurgunt.
 Honesto itaque et sacro vestitu cupiunt [sepelire] Iudaei. Atque ea est Iudaeorum
 superstitio, quam ob antiquitatem cognoscenda haud gravatim recito, tibi praesertim
 tam cordato fratri. Proinde Ioannes scribit⁶ Petrum vidisse τὰ ὀθόνια κείμενα - in
 65 lineam vit[t]am insuerunt corpus, altera vero, quae tallith est, insutum implicaverunt;
 alioqui lintheamen evangelista et non lintheamina scripsisset.
 6. Manus utrinque lateribus rectae coniunguntur ad modum tranquille cubantium. Sic
 erat in Talmud cautum in [heb], Moed Caton.

Iam colligemus obiter imposturas. Sudarium non est, ut a mystagogis nominatur, nam illud ad
 70 corpus nihil attinebat, neque in facie sed corporis umbrillas referre dicitur. Non est [heb]
 tachrichin et involucrium corporis. Nam tale corpori artissime astringebatur, scribitur in loco
 Talmud citato in perek veillu megalchin [heb]. Duos impendisse operam curando funeri, quod
 unus illud quidem lintheum complicabat, alter vero nodis firmis adligabat, id est, enim [heb]
 75 umikascher haisch. Et viribus quidem talem lineam corpori sic astrinxerant, quod ex eo patet,
 quia mulieris mortuae corpus, sanxerunt per feminam involuendum quidem, sed ligandum per
 virum, quo probior ligatura constaret. Unde igitur, quod scapuli et pectus deinde aliquod surarum
 duntaxat in mendaci illo sudario effigiatum conspicitur, quid non totum corpus undique
 expressum asserunt, et positionem manuum, ut in rectum versus pedes protendebant.

Georgius Reischius Cartusianus Friburgensis et ordinis per Germaniam episcopus dum
 80 viveret dixit non esse sudarium, neque etiam quo corpus sacrosanctum fuerat involutum, sed in
 quem de cruce sit mox depositum, antequam funeralia omnino fierent. Quod minime convenit.
 Nam si in tali panno fuisset ablutum corpus, plures oporteret cruoris notas superesse. Nam tres
 opinor guttas tantum refert. Vide 2^m articulum, adde quod Marcus scribit: καὶ ἡδὴ ὀψίας
 γεμομένης, ἐπεὶ ἦν παρασκευή, etc. Vesperum nominat quo sol devergat proxime ad
 85 occasum, ubi non licebat neque barbam tondere, ne videlicet protraheretur actio usque sub
 noctem, ubi iam auspiciis est Dei festi vel Sabbati; nam Pascha Christo patiente die Sabbati

⁵ John 20:7.

⁶ John 20:6.

fuit, ut ex acto liquet, et Iudaei non diffitentur et ordo ecclesiae observat. Similiter prohibentur quae speciem operis habent. Est autem species operis imo opus perfectum Iudaeis ex madido panno aquam contorquendo exprimere. Quare cautum fuit, ut si in primo die festi mortuus veniret curandus per manus Iudaei, sicut honestiores solebant curari, constitutum erat, ut in 90 assere vel tabula positus, non intectus linteo curaretur ut super 2 articulo sed stramine lavandum contegerent et purificarent et refricarent, ne contingeret forte madefactam lineam retorquere, quod [heb] lesichta nominabant. Sic scribit Rabi Israel in libro cui titulum fecit [heb] ... poscum vechethubim, et ante eum R. Mordicheus. Quod igitur in festo non licet, appetente festo erat 95 prohibitum, cui praeter causam honesti viri non facile creduntur obstitisse. Festum appetens fuit, omnia igitur sunt acta ex praecipiti festinantia, et cum cautione ne quid operis vel auspicarentur. Porro praeter rationem dignitatis Christi totum effictum est, nam Ioseph et Nicodemus, discipuli Christi fuerunt, qui illum plurimi faciebant, et super hominem in eo suspiciebant. Ideo non est verisimile, quod vera illius laude omissa in vanis nugis, ut esset talis pannus. Etiam si verum 100 esset, reservatio occuparentur. Gammora ait, honoris gratia titulum a capite locandum, quo illius mentio et benefactorum recordatio fiat, sed insignis vir famam sit, alioqui superstitem habiturus, quid de spiritu edoctis cum frivolis reliquiis et exuviis mortui, quem unum paulo post cognoverunt in dextra sedere Patris. Putandum nefantes viros tam frivolis nugis occupatos fuisse. Certe non videtur sociis enim Christus magister donaret. Ex his potes ex analogia Iudeis et 105 evangelistis, pro ingenii tui dexteritate, dum vacat, firmissima comminisci argumenta. Reliquum adnotabimus ob totam sepeliendi rationem intelligendam.

Oculi et os clauduntur, obturbantur priscis nares quoque superponderatur paululum terrae. Sic traditio vetus habet quae colligitur ex hoc Geneseos: *Pulvis es*, etc., quo minus eo praecepto repugnetur. Proinde scribitur in Talmudt Ierosolomyano, quod Rabi ille nominatissimus [?] 110 voluerit arcam funeralem inferne fieri perviam et perforatam, quod satisfieret praecepto [heb] ... keburath karka, i.e. sepulturae terrae sive fundamenti terrae. Nam [heb] ... fundus, non est sive [heb] ut Iacob Asschiri capite 374 libri secundi. Inde super oculos et os terram et deinde super totum ornatum ponunt, sed exiguum quiddam. Postea contegunt funus adobruendum terra tabula lignea, ne humus videlicet cadaver conspurcet, videtur enim mortuo facta ignominia, si mox terra 115 confoedaretur. In tantis ludicris detinetur infelix superstitio.